
N. Gregorii

de Sacroſancta Scriptura


Witteb. 1585.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

3, - 67.
(LN bis 142)

DA. BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

3;-67

THESES

DE SACROSANCTA SCRIPTVRA,

De quibus, Deo Opt: Max. iuuante,

PRÆSIDE M. NICOLAO GREGORIO Holſato, Theologiæ Studioſo, priuati exercitii cauſſa reſpondebit MICHAEL HOLLERVS Holſatus, Die 30. Ianuarii manè hora ſexta.

VITEBERGAE

Ex typographia Simonis Gronenbergij.
M. D. LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

REVERENDO ET DOCTISSI-
mo viro Dn. M. Henrico Gevers, Paſtori Eccleſiæ
Chriſti in VVeſtede fideliſsimo, Domino &
compatri ſuo colendo.

Maximam eſſe cùm in omnibus artibus & ſcientiis tum verò inprimis in rebus Theologicis piarum diſputationum vtilitatem & neceſsitatem, vir Reuerende & doctiſſime, compater ſumma animi reuerentia colende, pro ſingulari tua prudentia, ipſo vſu & experientia confirmata, intelligis. Nam vt reliquas, quas ſecum ferunt, vtilitates ampliſsimas, quin etiam ipſum mandatum diuinum (cujus tamen vel maximam pia mens rationem habere debet) prætercam, cui nam ſeculo poſt hominum memoriam vnquam tãta, quàm huic noſtro, in quo omnis generis errorum maturitas erumpit, erroribus ſeſe opponendi fuit allata neceſſitas? Quantum à temporibus Domini Lutheri, feliciſsimæ memoriæ, impia ſophiſmata Caluinianorum è ſordidis rationis humanæ lacunis hauſta renaſcenti Eccleſiæ damni dederint, quis pius non cum gemitu conſiderat? atq; tantum abeſt, vt animum mutarint, vt etiam noua ſubinde excogitando ſpecioſa ſophiſmata plures ad impiam ſuam opinionem pertrahant. Diligentis igitur ſtudioſi erit, non tantùm in id incumbere, vt linguarum, artium, & hiſtoriarum cognitione excellat, ſed vt diſputationum exercitiis ſe ad futura cum aduerſariis certamina præparet, ne ſpecioſis hæreticorum ratiocinationibus ad errorem alliciatur, & ad eũdem amplexandum alios pertrahat, vel ſi quo modo oc-

currendum

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

currendum illis ſit, non viderit, noſtram doctrinam impiis ludibrio exponat, & apud idiotas in ſuſpicionem falſitatis adducat. Ego itaq; ſumma diſputationum vtilitate & neceſsitate adductus (facta mihi poteſtate ab ampliſsimæ Facultatis Theologicæ in hac celeberrima Academia Vitebergenſi Profeſſoribus) priuatis diſputationibus Theologicis & me & alios exercere conſtitui, in eumq; finem ſequẽtes Theſes de ſacroſancta ſcriptura conſcripſi. Tibi verò vir Reuerende & compater colende, ad grati animi teſtificationem eas inſcribere libuit, quod & cum cariſsimo parẽte meo Henrico, & patruo, Martino, piæ memoriæ viris, conjunctiſsimè vixiſſe te, atq; de iiſdem bene meritum eſſe non ignorem: Idq; eo facio libẽtiùs quòd ab ipſo cariſsimo parente meo ad continuandam hanc amicitiã habendamq; ad minimum (ſi referre res meæ non permitterent) gratiam præ reliquis deſignatus videar. Hac etenim de cauſa vir Reuerẽde, te mihi compatrẽ elegit, vt quo loco & honore mihi habendus eſſe intelligerem. Grato itaq; animo Theſes haſce accipies, nõ quòd per ſeſe tales ſint, vt gratæ eſſe poſſint, ſed quia ab animo grato, tuiq; quondam amici, cujus vel memoria tibi grata eſſe poteſt, filio, mittuntur. Filius Dei Ieſus Chriſtus ſaluum & incolumem te cum cariſsima coniuge quàm diutiſsimè conſeruet. Vitebergæ 30. Ianuarii, anno 1585.

M. Nicolaus Gregorius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

DE SACROSANCTA SCRIPTVRA.

1. *Fundamentum totius Chriſtianæ religionis, norma omnium articulorum fidei, ſons omnis efficacis & viuificæ conſolationis, & ſalutarium admonitionum, item gladius, quo omnes omnium hæreticorum nodos, veritati diuinæ oppoſitos, incidere, & diſſoluere poßimus, eſt vnicum & ſolum Dei verbum in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſum.*

2. *Summis igitur ingenii viribus cum pia & ardenti inuocatione diuina in id incumbendum omnibus piis eſt, ut doctrinam de ſacra ſcriptura, quantum fieri poteſt, quàm diligentißimè cognoſcant, atq; ad vſum ſalutarem transferre diſcant.*

3. *Sacram ſcripturam nominamus certißimam illam diuinitùs inſpiratam doctrinam, quæ in libris veteris & noui inſtrumenti canonicis comprehenſa eſt, per quã Deus efficaciter operatur, & verã agnitionis, eſſentiæ & voluntatis ſuæ lucem accendit, & remißionem peccatorũ, iuſtitiam & vitam æternam credentibus impertit.*

4. *Non immeritò inter* κριτήρια, *certitudinem noſtræ religionis demonſtrantia, primum locum obtinet ipſa patefactio diuina.*

5. Eo enim κριτηρίῳ nullum poteſt eſſe certius, & in eum finem clementiſſimus Deus è luce ſua inacceſſa prodiit, vt homines de ſe vero Deo, veroq́; ſuo cultu & religione certos redderet.

6. Ideoq́; ferè omnes quotquot vnquam extitere religiones, quò ſibi veritatis opinionem conciliarent, diuinitùs factas reuelationes prædicarunt.

7. Quia verò nullæ nobis ſingulares reuelationes diuinitùs factæ ſunt, ex quibus de religionis noſtræ certitudine ſtatuere poſſimus, ad alia noſtræ fidei κριτήρια ſeu argumenta ut nos conuertamus neceſſe fuerit.

8. Vtq́; ſine vlla hæſitatione firmā, ſolidam atq; immotam pariat hæc doctrina in cordibus noſtris aſſenſionē & fiduciam, quoties vel mens noſtra ſecum de veritate noſtræ doctrinæ quærit, vel diabolus dubitationem ſuggerit, vel cum aduerſario diſputamus, non ad vnum aliquod, ſed ad præcipua ſimul argumenta nos reſpicere oportet, vt quæ non proſunt ſingula, multa iuuent.

9. Primum igitur κριτήριον, quo nos certiores de noſtra religione reddamur, à miraculis, non tamen quibuſuis, ſed ſummis, & maximis, ſoliusq́; diuinæ & omnipotentis naturæ propriis, deſumere poſſumus.

10. Talibus enim miraculis confirmatam doctrinā, veram, certam, & diuinam eſſe, extra controuerſiam eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

11. Sed doctrina ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſa ejuſmodi miraculis plurimis comprobata eſt, ut exempla reſuſcitatorum mortuorum 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. 4. Reg. 13. Ioh. 11. Mat. 9. Luc. 7. Matt. 27. Acto. 9. & 20. oſtendunt.

12. Huc reliqua opera diuinæ potentiæ omnia pertinent, ut eductio populi Iſrael ex Ægypto per mare rubrum, miranda conſeruatio in deſerto per 40. annos, introductio in terram promiſſam per Iordanem, inhibitio curſus ſolis pugnante Ioſua, ut in Exodo. Num: & Ioſua legere licet.

13. Leguntur quidem & apud ſcriptores ethnicos, ut Plutarchum in 1. de anima, Plinium lib. 7. cap. 52. &. Platonem, ut refert Auguſtinus lib. 2. de ciuitate Dei, ca. 28. reſuſcitatorum mortuorum exempla: Sed ex his religionis veritas non probatur.

14. Nam vel ipſi ethnici ſeſe mutuo rident, vel illorum reſuſcitati, quos memorant, manifeſtò falſa prædixerũt, vel fictitiis diis honorem exhibendum ſuaſerunt.

15. Cicero enim, qui tamen Platonem maximi fecit, luſiſſe potiùs Platonem hac in parte quàm vera ſcribere voluiſſe affirmat: Plinius vaticinia eorum, quos reſuſcitatos dixerat feſelliſſe, fatetur: & is, cujus Plutarchus meminit, non niſi diabolicam religionem cum infernali diti ſtudeat, probabit.

16.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

16. *Neq; tantùm veritatis laudem, ſuis miraculis ipſi ethnici adimunt, verùm eandem noſtris etiam ſæpe tribuunt.*

17. *Strabo lib. 16. ita ſcribit: Moſes vnus ex Ægyptiis ſacerdotibus cùm partem quãdam regionis haberet, ac moleſtè ferret eorum inſtituta, ex Ægypto in Iudæam commigrauit. Diſceſſere cum eo multi, quibus diuina curæ erant. Docebat enim ille, quomodo Ægyptii non rectè ſentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent: nec Græci, qui Deos hominum figuris inſignirent.*

19. *Et Herodotus lib. 2. hiſtoriæ trucidati exercitus blaſphemi Sennacherib, quæ in noſtris Bibliis 4 Reg. 19. & Ieſa: 37 deſcripta extat, non tantùm mentionem facit, ſed & victoriam illam diuinam fuiſſe, & precibus ſacerdotis impetratam teſtatur: id quod vſq; adeò fuit manifeſtum, vt in perpetuam diuinitus punitæ iſtius impietatis & blaſphemiæ memoriam, in templo Vulcani Ægyptiaco, ſtatuam Sennacherib lapideam cum hac inſcriptione erexerint:* ἐσ ἐμε ὁρέωμ εὐσεβὴς ἔσω.

20. *Antiquitate etiam non parum auctoritatis & certitudinis religioni accedere omnium, ſana mente vtẽtium, ſuffragio conſtat.*

21. *Confirmat hoc Tertullianus in libro aduerſus Praxeam, inquiens: Peræquè aduerſus omnes hæreſes jam hinc præiudicatum eſt, id eſſe verum, quodcunq;*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

primum: id eſſe adulterinum, quodcunque poſterius: Concedunt etiam hoc ultrò, tanquam extra controverſiam poſitum, omnes omnium gentium de antiquitatis prærogatiua concertationes, quæ inueniuntur apud Diodorum, Herodotum, Xenophontem, & alibi.

22. *Nonnullæ verò gentes vſq; adeò fuere barbaræ, ut de ſuæ religionis origine nihil planè illis ipſis conſtiterit: quarundam religio adeò recens, ut ab antiquitate eam commendare non poßint.*

23. *Quæ aliqua vetuſtatis fama celebres fuerunt, ut Ægyptii & Babylonii, vel in manifeſta fraude & mendacio deprehenduntur, vel ſcripta Moyſis, quibus tamen ipſi veritatis teſtimonium ferre coguntur, ingenti annorum numero ſequuntur.*

24. *Temporibus enim regis Ægyptiorum Pſammetichi, ut ex initio 2. lib. Herodoti liquet, nondum de ſuæ gētis origine Ægyptii certi fuerunt: Et Xenophō in Æquiuoc: non obſcurè annum, vnius menſis quantitatem habentem, ea de cauſſa in vſu Ægyptiis fuiſſe oſtendit, ut cumulato annorum numero reliquas gentes antiquitate ſuperarent.*

25. *Babyloniorum* τηρήσεις ἀστρονομικαί, *quas diligentiſſimè conquiſitas Calliſthenes, Ariſtotelis diſcipulus, capta per Alexandrum Babylone, olympiade 112. ſiue an-*

no

no mundi 3634. rogatus à ſuo præceptore in Græciam tranſmiſit, non plures quàm 1903. continuerunt: Vnde noſtram religionem annis 1700. ad minimum obſeruationibus Babyloniorum vetuſtiorem eſſe colligitur.

26. Quicquid igitur ex antiquitatis prærogatiua auctoritatis emergit, non gentium, ſed noſtræ religioni debetur.

27. Neq; vel minimum obſtat nobis quod apud Herod: lib. 2 ſacerdotes Ægyptios iam tum 11340 annos numeraſſe legimus, licet ne ad hoc quidem tempus à noſtræ religionis exordio tot anni interceſſerint.

28. Nam præterquam quod (vt ſuperius oſtẽdimus) crimine falſi ſuam religionem ſuſpectam reddiderunt, etiam hoc ipſo in loco Herodoti ſuam mentiendi impudentiam produnt, dum dixiſſe ſcribuntur, ſolem quater ortus ſui locum in hoc annorum ſpacio mutaſſe, & bis ortum eſſe, vbi nunc occidit: & bis deſcendiſſe, vbi nunc oritur.

29. Tertium argumentũ: Quòd Eccleſia, quæ noſtræ doctrinæ cuſtos eſt, inter tot furores diabolorũ, minas & perſecutiones tyrannorũ, tamq; varia pericula ſine auxiliis, præſidiis & viribus humanis adeò mirabiliter ab initio mundi conſeruata eſt, religionis veritatem arguit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

30. *Diabolus ſiquidem falſæ & impiæ doctrinæ, vtpote cujus ipſe auctor extitit, ſuppreßione minimè gaudet, quin potiùs omnibus modis in id incumbit, ne quid illa detrimenti capiat, & indies magis magiſque incrementum ſumat.*

31 *Noha in diluuio toto mundo pereunte mirabiliter in arca cum ſuis conſeruatur, Loth in conflagratione Sodomæ, populus Iſrael in deſerto, Ezechias & vrbs Hieroſolyma à Sennacharib, ſocii Danielis in camino ardẽti, ipſe Daniel inter Leones, item pij temporibus Neronis, Domitiani, Iuliani, &c.*

32. *Et licet hæc diuinarum liberationum exempla tanta grauitate vel in noſtris Biblijs, vel aliis Eccleſiaſticis hiſtoriis, deſcripta extent, vt per ſeſe lectori fidem facere poßint: tamen ne principium petere videamur, ethnicorum teſtimonia nobis ſuffragantia, ſimul conſiderentur.*

33. *Regis Ezechiæ vrbiſq; Ieroſolymæ liberationem, & deletionem Sennacharib, diuinam fuiſſe, Herodoti teſtimonio conſtat: Hiſtoriæ diluuii & conſeruationis Nohæ, multæ circumſtantiæ apud Ouidium (qui tamen ad Deucalionem eam falsò refert) habentur. 1. quòd homo ſeruatus in diluuio, fuerit vir iuſtus. 2 quòd peccata, Dei iram prouocarint. 3. Aquas non tantùm eſſe cælitùs*

delapſas

delapſas, ſed etiam è terris erupiſſe. 4. montes etiam excelſos aqua tectos fuiſſe. Et Xenophon, Solinus & Cenſorinus primum diluuium nouimeſtre fuiſſe teſtantur. Et Theodoſij primi victoriam Claudianus vt diuinam celebrat:

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti:

34. *Quartum argumentum eſt: Experientia cuiuſlibet hominis pij in veris & ſeriis fidei exercitiis, vt inuocatione, gratiarum actione, timore Dei, ſpe, patientia, ſentientis ſummam conſcientiæ tranquillitatem, gaudium, & lætitiam, non tantùm in rebus lætis & ſecundis, ſed etiam triſtibus & aduerſis, in extremis anguſtiis & miſeriis.*

35. *Hoc verò argumentum per ſeſe quidem non tam valet ad confutandum aduerſarium, cùm externis geſtibus multa ſimulatè fiant, nec illi detur cordis noſtri lætitiam intueri, quàm ad conuincendum ſeipſum, propriæq; carnis negationem, ſed tamen coniunctum cum reliquis maiores vires confutandi acquirit.*

36. *Tantus ardor dilectionis et timoris Dei, reliquarumq; virtutum noſtræ doctrinæ efficacia in animis excitatur, vt ne quidem exquiſitiſsimis cruciatibus & ſuppliciorum generibus, vt ex omnium martyrum hiſtoriis liquet, extorqueri poſsit.*

37. In

37. In talibus verò anguſtiis ſi hominem relinqueret, nec conſolationem ſuggereret, plurimum auctoritatis, imò omnis auctoritas noſtræ doctrinæ adempta eſſet.

38 Quintum argumentum: Inſigniter etiam vaticiniis religionem commendari tum noſtra ſacra Biblia, Eſa. 41. Jer. 28: tum prophani ſcriptores, Ethnicorum vaticinia, ut oraculi Delphici, Iouis Hammonis, Iouis Dodonæi, & ſimilium commendantes, teſtantur.

39. Nulla verò niſi quæ ſolius Dei propria fuerint vaticinia, doctrinæ veritatem probabunt.

40. Non igitur Aſtronomicis, Medicis, politicis, ſuperſtitioſis vel diabolicis prædictionibus in hac diſputatione locus erit.

41 Cuius autem religio diuinas prædictiones contineat, quia per ſeſe conſtare non videtur, certis notis deprehendendum erit.

42 Veræ prædictiones, quò plures annos euentũ præceſſerint, quóque fuerint de rebus maioribus, magiſq; ſupra captum rationis & curſum naturæ poſitis, eo certius veram doctrinam demonſtrant.

43 Quæ verò minus ſpaciũ cõprehendunt, & à rationis cõſpectu propiùs abſunt, eæ minùs certò idẽ efficient.

44 Si vel manifeſtò falſæ, vel flexiloquæ & ambiguæ, vel manifeſtis erroribus ſervire deprehenſæ fuerint, Deum autorem minimè habebunt.

Noſtri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

45 Noſtri autem Prophetæ de rebus curſum naturæ longè ſuperantibus, & quidem plurimis annis antequam fierent, vaticinia ediderunt, imò nonnulla adhuc ex illis quotidie implentur. Patriarcha Iacob annis 1700 tempus aduentus Chriſti, durante adhuc politia Moſaica venturi prædixit, id quod poſtea Daniel nominatis 70 hebdomadibus certiùs definiuit: idem Daniel præcipuas mundi mutationes prædixit.

46 In Ethnicorum vaticiniis quod hiſce noſtris, vel quo ad temporis magnitudinem, vel ipſarum rerum maieſtatem, reſpondeat, non facilè quis inuenerit.

47 Sunt & illorum vaticinia dubia & ambigua, vt diuerſis modis intelligi poßint, ut quod oraculũ Delphicum ſummo cultori ſuo Crœſo dedit: κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

48 Ac præterea ad manifeſtos & rationi humanæ contrarios errores confirmandos directa ſunt. Tireſias prædicens victoriam Thebanis, filii Creontis mactationem ſimul flagitat. Similiter & Ariſtander, & alii.

49. Non autem omnium librorum, qui veteri & nouo Teſtamento continentur, eadem eſt in Eccleſia Dei auctoritas, ſed quorundam librorum teſtimonia ſine ulla inquiſitione tanquam veriſsima recipiuntur, & hi libri dicuntur Canonici: quorundam longè infe-

ſunt auctoritatis, & hi libri dicuntur Apocryphi.

50 Canonici dicuntur, non quòd autoritatem à Canone Eccleſiaſtico acceperint, ſed quòd ad illos tanquã canonẽ, regulam & amuſsim Eccleſia ſit exædificanda, & reliqua ſcripta omnia ſint examinanda, Galat. 6, Deut. 4 & 12.

51 Veteris Teſtamenti libri omnes, qui Hebraicè extant, Canonici cenſentur: Noui Teſtamenti vulgo recipiuntur ferè omnes, nonnullorum tamen auctoritas apud veteres etiam ſcriptores Eccleſiaſticos in dubiũ vocata fuit, quod, quomodo, quibus rationibus factum ſit, longum foret hìc ſigillatim perſequi.

52. Apocryphi dicuntur, vel quòd eorum occulta origo non claruit Patribus, ut Auguſt. libro 15, de ciuitate Dei, cap. 23, cenſet: vel quòd tantùm lectioni priuatæ deſtinati non ita Eccleſiæ innotuerint, ut publici & Canonici habiti fuerint.

53 Magna igitur eſt Pontificiorum impudentia, diſcrimen librorum Canonicorum & apocryphorum confundentium, ſacram ſcripturam, mutilam, mancã, imperfectam, ambiguam, dubiam, materiam litis, & naſum cereum appellantium, ſuas traditiones Eccleſiis, ut pari pietatis affectu & reuerentia ac ipſum verbum Dei recipiantur, obtrudentium, atque Eccleſiæ

Pon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

Pontificisq́; Romani autoritatem ſupra verbum Dei euehentium.

54 *Quæ traditionum non ſcriptarum nomine Eccleſiis obtrudere conantur, in illis ſunt bona, ſunt mala, ſunt mediocria omnia.*

55 *Bona illa dicimus, quæ licet iiſdem ſyllabis in libris Canonicis non inueniantur, cum illis tamen, quoad mētem & ſententiam, planè conueniunt, ut eſt ſymbolum Apoſtolicum.*

56 *Mala, quæ ſcripturæ Canonicæ apertè contradicunt, ut coniugij & certorum ciborum prohibitio, quā Paulus doctrinam dæmoniorum appellat.*

57 *Mediocria, quæ per ſeſe neque bona neque mala ſunt, ſed mediam naturam habent, ſiue quæ nullo expreſſo Dei verbo mandata ſunt, neque prohibita.*

58 *In horum uſu non tantùm eius quod licet, verùm etiam eius quod expedit, ratio habenda eſt, & illorū uſus ex uſu proximi metiendus.*

59 *Eſt præterea fugienda in rebus mediis cultus opinio, tollens ipſam rerum adiaphorarum naturam, & nimia ceremoniarum multitudo, qua res neceſſariæ obruuntur, & animi hominum à mandatorum diuinorum conſideratione abducuntur.*

Vtilitatem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

60. *Vtilitatem & fructum, qui ex ſacris literis ſperandus eſt, Chriſtus breuiſsima complectitur ſententia: Beati qui audiunt verbum Dei.*

61. *Cúmq; duplicia ſint bona, poſitiua & priuatiua, vera beatitudo erit ſecretis omnibus malis, bonorum omniũ complexio. Itaq; ſcriptura, mala à nobis propellet, et bonis præterea ſummis afficiet.*

62. *Id quod alia ſcripturæ teſtimonia ſpecialiùs explicant, 2. Timo. 2. Omnis ſcriptura* θεόπνευστος *vtilis eſt,* 1. πρὸς διδασκαλίαν. 2. πρὸς ἔλεγχον. 3. πρὸς ἐπανόρθωσιν. 4. πρὸς παιδείαν, *quæ eſt in iuſtitia, vt integer ſit Dei homo ad omne bonũ opus paratus, item Rom. 13. Pſal. 119.*

63. *Filius Dei Dominus N. I. C qui è ſinu æterni patris verbum hoc ſacroſanctum protulit, verum & ardentem verbi ſui diuini amorem in animis noſtris accẽdat, tyrannorum & hæreticorum furores & conatus, quibus verbum hoc opprimere conantur, frangat, & nos ad vitam æternam regeneret & conſeruet, Amen.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 142 [3,-67 4°]